

& potestate in proprium corpus, ut eam non amplius habeat, sed uxor, nec vel uxorem semel ductam, à se dimittere, sive repudiare, vel ea de facto & illegitimè dimissa, potestatem in suum corpus, ei semel concessam, recuperare possit, ut uxorem aliam in locum dimissæ ducere ipsi liceat, citra adulterii culpam. Similiter uxor, vi primævæ institutionis, ita accipit potestatem in corpus mariti, velut in partem suæ carnis, ut tam non possit consentire, ut alteri cuidam ejus potestas fiat, quàm à marito, cum quo ab ipso Deo indissolubiliter copulata & in unam carnem conjuncta est, se separare non potest. Quæ liquidò evincunt, Conjugium non esse contractum merè civilem: aliàs enim, sicut mutuo contrahentium consensu inicitur, ita mutuo eorundem dissensu dissolvi posset, & viro integrum esset potestatem corporis sui conferre in uxorem cum abdicativè, non reservata sibi potestate ad communicandum corpus suum alteri uxori, tum cumulativè, uti loqvuntur, sive ita, ut quantum juris in suum corpus facit uni uxori, tantum alii vel aliis facere possit; & uxor posset liberè cedere de jure, quod vi contractus conjugalis in corpus mariti habet, & permittere, ut tantum juris, quantum ipsa habet, alteri uxori à marito in corpus suum conferatur. Quæ omnia absurda sunt, & cum primævæ institutione, à Christo *Matth. XIX.* uberius declarata, pugnant. Quo observato, rursus magna *Discursus Politici* pars in fumum abiit.

LXX. Tertia hypothesis est; *Quod licuit Patribus V. T. & in iis à Deo reprehensum punitumq; non est, id hodiè in N. T. etiam cuius sine culpa & impunè licere.* Quam falsam esse, in hac ipsa *Dissertatione* sparsim ostensum est. Videatur *tb. XLIII. & seqq. & tb. LIX. & c.* Quo rursus observato, cadent argumenta omnia, ex Scriptura V. T. ab exemplis Polygamorum, cum Sanctorum Patriarcharum, tum impiorum Cainitarum desumpta.

*Coll. diss. A. 50, misc. 57*